



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 9011826X**

§. 38. Joannes XXII opit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)



Sæcul. XIV. Bononienses haberi voluit Papa: sed  
A. C. 1334. longius progressurum mors abstulit.

## §. XXXVIII.

*Joannes XXII. obit.*

*Bal. vit. to. I.*  
*p. 177.* Agitabat simul difficilia duo negotia, electionem Imperatoris novi, & quæstionem de visione beatifica decidendam. Has aliasque ob causas indixit senatum in secundam Decembris 1334. At præcedente nocte post cœnam correptus morbo die illa nihil agebat. Tertia mensis post cantatas preces vespertinas, quotquot erant Avenione, Cardinales accersi iussit: & comparebant omnès, si excipias duos, Joannem Cajetanum, qui ab urbe aberat, & Napoleonem Ursinum, qui huic actui interesse noluit. Aderant proinde Cardinales viginti numero: coram quibus legi curabat tabulas majusculis scriptas litteris, ac fere similes declarationi suæ tertia Januarii factæ. His in tabulis ait: Confitemur & credimus animas a corporibus sejunctas purgatasque in cœlo ac sede beatitudinis esse cum Christo & Angelis, ac frui a spectu divinitatis claro & a facie ad faciem, ut fert status animæ separatæ. Siquid contra scripsimus, aut protulimus e suggestu sacro, expresse revocamus.

*Rayn.*  
 1334. n. 36.  
<sup>87.</sup>  
*J. Vill. l. II.*  
 c. 19. 20.  
*to. II. Conc.*  
 p. 1629.

Testa-



Testamentum quoque condidit coram Sæcul. XIV. A.C. 1334.  
 Cardinalibus, Ecclesiamque ac nepotes suos eis commendavit. Retexuit factas a se beneficiorum reservationes cunctas, & a die mortis suæ irritas esse voluit. Opetiit eam die dominica pridie Nonas Decembris hora nona matutina, cum sub lucis ortum interfuisset sacrificio, atque divino epulo refectus esset. Vixerat annos nonaginta circiter, sacramque sedem tenuerat annis decem & octo, tribus mensibus, & viginti octo diebus. Sepultus est die postero 5 Dec. in cathedrali templo Avenionensi, ubi etiamnum cernitur ejus monumentum ex magnifica, ut tunc erat, architectura Gothica.

Joannes XXII fuit, qui solenne SS. Bal. vit. to. 1. p. 177. 793. c. 2. Ext. de fer. Thomass. fest. 1. 2. c. 18. Baill. fest. mob. Trin,  
 Triadis festum in Romanam introduxit Ecclesiam, quæ id singulari officio agere prius haud consueverat, licet abhinc annos circiter quadringentos illud in quibusdam cœnobiis templisque cathedralibus institutum fuerit. Aliqua idem primo post Pentecosten die dominico, alia celebrabant ultimo: Papa Joannes elegit primum, quo illud adhuc agamus.